



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**Romae, MDCLXXXVII**

Q. 182. Vtrum iustitia sit præstantior alijs virtutibus moralibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84131](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84131)

mo distantie, ac difformitatis à regula rationis per excessum, ac defectum, vt explicatum est.

30. Ad 3. distinguo minorem: non potest ab extremo ad extremum dari transitus, nisi per medium, si motus sit continuus, concedo: si motus sit discretus, nego: & nego consequentiam. Non potest dari transitus per motum continuum ab extremo ad extremum, nisi per medium: at per motum discretum potest; ex. gr. intellectus, & voluntas possunt intentionaliter moueri ab vno extremo ad aliud per motum discretum, non transeundo per medium; puta potest aliquis à cogitatione albi transire ad considerationem nigri, non transeundo per cogitationem rubri, & aliorum colorum mediorum; ergo non est mirum, quod possimus etiam ab actu, & habitu prodigalitatis transire ad actus, & habitus auaritiæ, non transeundo per medium liberalitatis. Imò, vt plurimum homines praui transeunt ab vno extremo vitioso ad aliud, non transeundo, ac non attingendo medium virtutis.

31. Ad 4. distinguo maiorem: de ratione medij strictissime sumpti est, vt æquè distet ab vtroque extremo, concedo: de ratione cuiuslibet medij, nego. Sæpè dicuntur esse in medio duorum, quæ non æqualiter distant ab vtroque extremo: ex. gr. Bononia dicitur esse in medio inter Romam, & Mediolanum, licet non æquè distet à Roma, ac à Mediolano: ergo non est mirum, quod virtus dicatur esse in medio duorum vitiorum, licet magis distet ab vno, quam ab alio.

32. Ad 5. iam in responsione ad secundum, tertium, & quartum quæsitum explicatum est, quo pacto virtutes theologicæ, & intellectuales consistant in medio.

33. Ad 6. Distinguo maiorem: vt virtus sit in medio essentialiter, debet esse media inter duo vitia, quorum alterum peccet per excessum, alterum per defectum, concedo: vt sit in medio causaliter, & quoad effectum, nego maiorem: concedo minorem; & distinguo consequens: ergo iustitia non est in medio essentialiter, ita vt habeat essentiam mediam inter duo vitia, concedo: non est in medio causaliter, ita vt ordinetur ad ponendum medium in propria materia, nego. Dupliciter virtus, dicitur esse in medio: primo essentialiter, ita vt habeat essentiam mediam inter duo vitia, extremè opposita, illo pacto, quo liberalitas est mediâ inter prodigalitatem & auaritiâ; secundo causaliter, & quoad effectum, ita vt ordinetur ad ponendum medium in propria materia. Virtutes ad se consistunt in medio vtroque modo. Iustitia, consistit in medio solum causaliter, quatenus in propria materia ponit medium inter plus vni, & minus alteri: sed non est in medio essentialiter, ita vt sit mediâ inter duo vitia, quæ iustitiæ opponantur per excessum, ac defectum. Nam licet sit vitium iniustitiæ, adeo-

que oppositum iustitiæ dare alteri minus, quam illi debeat de bonis, & per consequens de negatione malorum, & onerum, quæ negatio est quoddam bonum, tamen non est vitium iniustitiæ oppositum iustitiæ dare alteri de bonis, & de negatione malorum, plusquam illi debeat, imò sæpè est actus virtutis, puta liberalitatis: ergo iustitiæ, quæ ordinatur ad dandum alteri bona, quæ illis debentur, opponitur vnicum vitium peccans per defectum, ac dans alteri minus boni, quam illi debeat; siquidem dare plus boni, quam debeat, non est vitium oppositum iustitiæ, quia licet sit supra, tamen non est contra ius alterius.

34. Ad 7. distinguo maiorem; ideo temperantia in cibo, & potu ponit medium rationis, quia præscribit cibum, & potum proportionatum sumentis, vt formali mensuræ, concedo: vt mensuræ purè materiali, nego, distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Mensura formalis in ordine ad quam cibus, & potus dicitur temperatus, est ipse sumentis: siquidem homo dicitur temperatus in cibo, & potu ex eo præcisè, quod sumat cibum, & potum sibi proportionatum; sed medium, quod sumitur in ordine ad operantem, tanquam ad formalem mensuram, dicitur medium solius rationis: ergo temperantia in cibo, & potu ponit medium solius rationis. At mensura formalis, in ordine ad quam poena dicitur iusta, non est persona puniens, nec persona punita, sed est ius alterius, ac præsertim Reipublicæ, cui per culpam illarum est damnum: sed medium, quod desumitur per ordinem ad ius alterius, est medium rei: ergo iustitia in poenis intendit medium rei. Verum quidem est, quod eadem physicè actio læsiva alterius propter vilitatem lædentis, & dignitatem læsi, crescit moraliter in ratione culpæ, & iniuriæ; & eadem physicè passio, propter dignitatem patientis, crescit moraliter in ratione poenæ, ideoque quantitas materialis culpæ desumitur per ordinem ad peccantem, quantitas materialis poenæ per ordinem ad punitum. Sed cum hoc stat, quod iustitia formalis poenæ desumatur solum per ordinem ad ius alterius; siquidem poena dicitur iusta per hoc, quod sit æqualis iuri illius, qui læsus est per culpam.

## QVÆSTIO CLXXXII.

*Verum iustitia sit præstantior alijs virtutibus moralibus?*

*S. Th. quæst. 58. ar. 12.*

1. **V**ideretur non esse: primo quia homo principaliter ordinatur ad bonum proprium, minus principaliter ad bonum alio-

aliorum: ergo virtutes ad se, per quas ordinatur ad proprium bonum, & ad propriam perfectionem, sunt principiales virtutibus ad alterum, per quas ordinatur ad bonum, & perfectionem aliorum: sed temperantia, & fortitudo sunt virtutes ad se, iustitia est virtus ad alterum: ergo &c.

2. Secundo virtus, quæ versatur circa difficiliora, est præstantior: sed fortitudo versatur circa omnium difficillima, hoc est circa pericula mortis, & circa mortem ipsam, adeoque versatur circa difficiliora, quam iustitia: ergo &c.

3. Tertio ex Aristotele 4. Ethic. cap. 3. magnanimitas ornat, & perficit iustitiam, & omnes alias virtutes; sed virtus, quæ se habet ut perficiens, est præstantior virtute, quæ se habet ut perfectibilis: ergo &c.

4. Quarto ex virtutibus ad alterum præstantiores sunt, quæ reddunt id, quod debent Deo, quam quæ reddunt alijs à Deo; sed religio est virtus dans Deo debitum cultum, obedientia est virtus dans Deo debitam obsequantiam mandatorum: ergo sunt præstantiores iustitia, quæ dat id, quod debet alijs à Deo.

5. Quinto ex virtutibus, quæ versantur circa proximos, liberalitas, & magnificentia, quæ dant alijs gratis ea, quæ non debent, sunt præstantiores iustitia, quæ dat solum id, quod debet; misericordia etiam, ut docet Sanctus Thomas, 2. 2. quæst. 30. art. 3. & 4. est præstantissima omnium virtutum, quæ versantur circa proximum: ergo &c.

6. Respondeo illas virtutes per se esse perfectiores, quæ mouentur à perfectiori obiecto formali. Hinc sequitur primo virtutes theologicas per se esse perfectiores moralibus. Ratio est, quia virtutes theologicæ habent pro obiecto formali primario aliquid diuinum, fides nimirum summam Dei veritatem, spes diuinam omnipotentiam, & fidelitatem, charitas summam Dei bonitatem; virtutes autem morales habent pro obiecto formali aliquid creatum: sed diuina sunt perfectiora creatis: ergo virtutes theologicæ mouentur ab obiecto formali perfectiori, ac proinde per se sunt perfectiores. Confirmatur: nam virtutes theologicæ habent pro obiecto formali ipsum vltimum finem: virtutes morales habent pro obiecto formali ea, quæ sunt ad finem: sed vltimus finis est perfectior illis, quæ sunt ad finem: ergo &c.

7. Sequitur secundo virtutes ad alterum saltem ex genere esse perfectiores virtutibus ad se ipsum. Probatur: nam ex dictis virtutes, quæ per se intendunt, & amant obiectum formale perfectius, per se sunt perfectiores: sed virtutes ad alterum ex genere suo per se intendunt, & amant obiectum formale perfectius: ergo per se, saltem ex genere, sunt perfectiores virtutibus ad se. Probatur minor ex Sancto Thoma, quæst. 58. art. 12. Nam virtutes ad se per se intendunt, & amant ho-

nestatem, per quam homo est bonus sibi ipsi præcisè; virtutes autem ad alterum per se amant honestatem, per quam homo est bonus, non solum sibi ipsi, sed etiam alteri; quidem commensurando vnum hominem alteri, non solum reddunt illum hominem bonum sibi ipsi bonitate honesta, sed etiam alteri: sed honestas, per quam homo est bonus, non solum sibi ipsi, sed etiam alteri, ex suo genere est maior, quam honestas, per quam est bonus sibi ipsi præcisè: ergo &c. Ideo Aristoteles 5. Ethic. cap. 1. dicit iustitiam, cum sit ad alterum, quodammodo esse bonum alterius; & 1. Rhetoric. cap. 9. asserit necesse esse, ut sint maximæ virtutes, quæ sunt alijs vtilissimæ. Virtus enim est potentia beneficiua. Confirmatur. Ut enim docet Aristoteles 2. de anima, text. 49. ex tribus potentijs vegetatiuis, quæ sunt nutritiua, augmentatiua, & generatiua, potentia generatiua, per quam viuientia ordinantur ad bonum alterius, est perfectior nutritiua, & augmentatiua, per quam ordinantur ad bonum proprium; ergo ex proportionali ratione in moralibus virtutes ad alterum sunt perfectiores virtutibus ad se.

8. Sequitur tertio iustitiam non solum generalem, sed etiam particularem esse per se, & ex obiecto formali perfectiorem temperantia, & fortitudine. Probatur: nam temperantia habet pro obiecto formali honestatem rectè se habendi circa delectabilia gustus, & tactus; fortitudo habet pro obiecto formali honestatem rectè se habendi circa terribilia, destructiua vite; iustitia particularis habet pro obiecto formali honestatem commensurandi suas actiones iuri alterius contradistincti à nobis: sed maior est honestas commensurandi suas actiones iuri alterius, quam honestas rectè se habendi in delectabilibus, & terribilibus: illa enim consistit in hoc, ut reddat hominem bonum, non solum sibi ipsi, sed alteri: ista consistunt in hoc, ut reddant hominem bonum sibi ipsi præcisè: ergo &c. Addit Sanctus Thomas iustitiam particularem etiam ex parte subiecti esse perfectiorem temperantia, & fortitudine. Iustitia enim est adæquatè in voluntate: fortitudo, & temperantia sunt saltem partialitè, & perfectiue in appetitu sensitivo, qui est imperfectior voluntate: sed virtus, quæ est adæquatè in perfectiori potentia, ex parte subiecti est perfectior virtute, quæ partialitè est in potentia imperfectiori: ergo &c.

9. Sequitur quarto iustitiam etiam particularem per se, & ex obiecto formali esse perfectiorem liberalitate, & magnificentia. Probatur: nam obiectum formale liberalitatis, & magnificentie est honestas rectè se habendi circa pecunias, ac rectè ijs vtendi: sed hæc honestas secundum se præcisè consistit in hoc, ut reddat hominem bonum in se ipso, non autem in hoc, ut reddat hominem bonum alteri: ergo est minor honestate consi-

stente

stentē in hoc, vt hominem commensuret iuri alterius, eumque reddat bonum alteri, quæ honestas est obiectum formale iustitiæ. Adde, quod cum liberalitas, & magnificentia, tanquam circa propriam materiam, versentur circa affectum, & vsum pecuniarum, iustitia versetur circa omnes actiones ad alterum, iustitia versatur circa materiam multo vniuersaliorē materia liberalitatis, & magnificentiæ, ac proindē est virtus vniuersalior, & ex hoc etiam capite perfectior.

10. Sequitur quinto iustitiam particularem ex obiecto formali esse perfectiorem magnanimitate, & modestia. Sicut enim liberalitas est virtus, qua homo rectē se habet circa mediocres pecunias, & mediocres sumptus, magnificentia est virtus, qua rectē se habet circa maximas pecunias, & maximos sumptus, sic modestia aliquando sumitur pro virtute, qua homo rectē se habet circa mediocres honores, magnanimitas est virtus, qua rectē se habet circa maximos honores, ac debitos maximæ virtutis; sed per hoc, quod homo rectē se habeat circa honores mediocres, vel maximos, rectē se habet præcisē in se ipso: ergo honestas, quæ est obiectum formale magnanimitatis, & modestiæ, est minor honestate, quæ est obiectum formale iustitiæ; per quam honestatem homo redditur formaliter bonus non solum sibi ipsi, sed alteri.

11. Sequitur sexto iustitiam generalem per se, & ex obiecto formali esse perfectiorem iustitia particulari. Probat. Nam obiectum formale iustitiæ generalis est honestas dandi id, quod debetur communitati, cuius nos sumus pars: obiectum formale iustitiæ particularis est honestas dandi id, quod debetur alijs contradiſtinctis à nobis: sed sicut totum est melius parte, sic honestas dandi id, quod debetur toti, est maior honestate dandi id, quod debetur parti: ergo obiectum formale iustitiæ generalis est perfectius obiecto formali iustitiæ particularis; ac proindē iustitia generalis ex obiecto formali est perfectior iustitia particulari.

12. Sequitur septimo iustitiam erga Deū, quæ nimirum habet pro obiecto formali honestatem dandi Deo id, quod illi debetur, esse perfectiorem iustitia generali. Probat: nam sicut Deus est perfectior communitate, cuius sumus pars sic honestas dandi Deo id, quod illi debetur, est maior honestate dandi communitati id, quod illi debetur. Confirmatur; nam vt insinuat Sanctus Thomas 2. 2. qu. 81. art. 6. sicut virtutes theologicæ, quæ habent pro obiecto formali ipsum vltimum finem, hoc est Deum, sunt perfectiores virtutibus moralibus, quæ habent pro obiecto formali honestatem creatam, quæ conducit ad vltimum finem, sic ex virtutibus moralibus illæ, quæ habent pro obiecto formali honestatem propinquiorem vltimo fini, ac magis immediatē commensuratam primæ regulæ, sunt perfectiores virtutibus moralibus, quæ habent

pro obiecto formali honestatem magis propinquam vltimo fini, ac minus immediatē commensuratam primæ regulæ; sed honestas dandi Deo id, quod illi debetur, est propinquior vltimo fini, & magis immediatē commensuratur primæ regulæ, quam honestas dandi communitati id, quod debetur: ergo est maior, ac proinde iustitia erga Deum est virtus perfectior iustitia generali.

13. Sed potest queri, vtrum iustitia per se amans, & intendens honestatem dandi id, quod debetur toti includenti Deū, & omnes creaturas, sit perfectior, vel imperfectior iustitia intendente honestatem dandi id, quod debetur Deo?

Respondeo perfectiorem esse iustitiam, quæ per se amat, & intendit honestatem dandi id, quod debetur Deo. Ratio est, quia licet totum includens Deum, & mundum, sit perfectius extensiuè, siquidem vltra perfectionem Dei includit perfectionem mundi: tamē Deus solus est totum quoddam eminentiale perfectius intensiuè toto continente Deum, & mundum. Totum enim includens eminentē, & virtualitē omnes perfectiones alterius totius, secluis imperfectionibus, est intensiuè perfectius toto includente easdem perfectiones formalitē, additis imperfectionibus; sed Deus solus includit eminentē omnes perfectiones totius constantis ex Deo, & mundo, secluis imperfectionibus mundi: ergo &c. Ex eo, quod Deus sit eminentē, & intensiuè perfectior toto constante ex Deo, & mundo, sequitur honestatem dandi Deo id, quod debetur, esse maiorem honestate dandi id, quod debetur toti constanti ex Deo, & mundo. Confirmatur: nam charitas habens pro obiecto formali bonitatem diuinam secundum se, est perfectior virtute, quæ haberet pro obiecto formali bonitatem totius constantis ex Deo, & mundo: ergo à pari.

14. Sequitur octavo iustitiam erga Deum esse perfectiorem religione. Ratio est, quia iustitia erga Deum habet pro obiecto formali honestatem tribuendi Deo quod illi debetur: religio habet pro obiecto formali honestatem tribuendi Deo cultum debitum; sed vniuersalior, ac proindē maior est honestas tribuendi Deo id, quod debetur, quam honestas tribuendi Deo debitum cultum; siquidem illa extenditur formalitē, & immediatē ad tribuenda Deo omnia, quæ illi debentur: hæc formalitē extenditur ad tribuendum Deo solum cultum debitum: ergo &c.

15. Sequitur nono religionem esse perfectiorem obedientia, qua obediunt Deo, propter honestatem obediendi Deo; & quia ex dictis iustitia erga Deum est perfectior religione, iustitia erga Deum à fortiori est perfectior obedientia. Ratio est, quia honestas colendi Deum, quæ est obiectum formale religionis, est maior honestate obediendi Deo, quæ est obiectum formale obedientiæ: ergo &c.

Aaaa

Pro-

Probat antecedens: honestas enim, quæ commensuratur primæ regulæ secundum se, est maior honestate, quæ commensuratur primæ regulæ vt determinatæ per præceptum liberum; sed honestas colendi Deum commensuratur primæ regulæ, ac diuinæ dignitati secundum se: est enim honestas colendi Deum secundum se: honestas autem obediendi Deo, vt determinatæ per præceptum, est honestas obediendi Deo, vt præcipienti: ergo &c. Videri potest Caietanus 2.2. qu. 104. art. 3. Hinc sequitur, quod cum quis obedit Deo ex voto obediendi, ille actus est præstantior, in quantum fit ex motiuo religionis, quam quatenus est ex motiuo obedientiæ.

16. Dices: 1. Regum 15, dicitur: *Melior est obedientia, quam victima*: sed offerre victimas est actus religionis: ergo actus obedientiæ melior est actu religionis, ac proinde religio est virtus perfectior, quam obedientia.

Respondeo sensum esse, quod actus religionis, quo quis ex obiecto formali religionis, hoc est propter honestatem colendi Deum, offert Deo in ipsius honorem propriam voluntatem, obediendo, ex parte rei oblatæ est melior, & perfectior actu, quo offert victimas; ideoque Sanctus Gregorius lib. vlt. Moralium, cap. 12, explicans illum locum dicit: *Nam per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur*. Sicut ergo voluntas est perfectior qualibet alia victima, sic actus religionis, quo Deo in honorem eius offertur propria voluntas, est perfectior actu, quo offeruntur aliæ victimæ. Videri potest D. Thomas 2.2. qu. 104. art. 3. ad 1.

17. Sequitur vltimo misericordiam, quæ habet pro obiecto formali honestatem subleuandi miseriam proximi, esse perfectiorem iustitia erga proximum. Ratio est, quia honestas subleuandi miseriam proximi est maior honestate dandi proximo id, quod illi debetur. Confirmatur: nam cum in proximis carere ijs, quæ sibi debentur, sit quædam miseria, misericordia ex motiuo subleuandi miseriam alterius dat etiam proximo quod illi debetur, ac proinde est virtus vniuersalior, adeoque perfectior iustitia. Ex opposita ratione iustitia erga Deum, religio, & obedientia sunt virtutes perfectiores misericordia: siquidem earum obiectum formale est honestas propinquior vltimo fini, hoc est Deo.

18. Adde primo, quod si nomine misericordix intelligatur virtus, quæ ex amore Dei subleuat miseriam proximorum, qui sunt aliquid Dei, coincidit cum charitate, ac proinde est virtus theologica, ac perfectissima, inter virtutes.

19. Adde secundo, quod aliquando nomine misericordix intelligitur virtus quædam, quæ ponit debitum modum passioni appetitus sensitui, qua compatimur alienis miserijs: & in hoc sensu est virtus ad nos ipsos, & est imperfectior iustitia particulari.

20. Concludi potest, quid sit dicendum

ad quæstionem propositam, vtrum iustitia sit præstantissima inter virtutes morales? Dicendum, quod iustitia erga Deum est perfectissima inter virtutes morales, & perfectior etiam religione, & obedientia: iustitia generalis est præstantior alijs virtutibus moralibus, quæ non versantur circa Deum, excepta fortasse misericordia, quæ habet pro obiecto formali honestatem subueniendi communitati, cuius est pars: iustitia particularis est præstantior virtutibus ad se.

21. Ad 1. distinguo antecedens: homo principaliter ordinatur ad bonum proprium, quam ad bonum aliorum negatiuè, quod nimirum non simul sit proprium, concedo; quam ad bonum aliorum copulatiuè, quod nimirum simul sit proprium, nego; & nego consequentiam. Homo, vtpote animal sociale, cum sit ordinatus non solum ad se ipsum, sed etiam ad alios, principaliter ordinatur ad honestatem, per quam efficitur bonus sibi ipsi simul, & alijs, quam ad honestatem, per quam efficitur bonus sibi ipsi præcisè: ergo virtutes ad alterum, per quas homo ordinatur ad honestatem, per quam sit bonus sibi ipsi simul, & alijs, sunt perfectiores virtutibus ad se; ac proinde iustitia, quæ est ad alterum, est præstantior temperantia, & fortitudine, quæ sunt ad se.

22. Ad 2. distinguo maiorem: virtus, quæ versatur circa difficiliora, si habeat obiectum formale minus perfectum, est præstantior secundum quid, concedo; est præstantior simpliciter, nego: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Perfectio virtutis per se, & principaliter desumitur ex obiecto formali, adeoque virtus, quæ habet obiectum formale imperfectius, etiamsi versetur circa difficiliora, est perfectior solum secundum quid, non autem simpliciter; sed fortitudo habet obiectum formale imperfectius obiecto formali iustitiæ: ergo licet possit admitti, quod secundum quid sit perfectior iustitia, tamen simpliciter est minus perfecta.

23. Ad 3. distinguo maiorem: magnanimitas ornat, & perficit iustitiam, & omnes alias virtutes perfectione quadam accidentali, concedo; perfectione quadam spectante ad substantiam virtutis, nego: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Quod ornat, & perficit rem perfectione quadam accidentali, & non spectante ad substantiam rei, potest esse imperfectius re, eo pacto, quo pulchritudo accidentalis hominis, licet ornet, & perficiat hominem, est imperfectior homine. Magnanimitas ornat, & perficit iustitiam, aliasque virtutes perfectione quadam merè accidentali, sine qua saluatur substantia iustitiæ, & aliarum virtutum: ergo potest esse imperfectior iustitia; præsertim cum iustitia videatur requiri ad perfectionem substantialem magnanimitatis; siquidem magnanimitas, quæ non fundatur in iustitia, alijsque virtutibus, non est virtus. Qui enim

appe-

appetit magna, & non habet magnas virtutes, non est magnanimus, sed contra magnanimitatem peccat per excessum, cum appetat magna, ac non sit magnus, ac proinde appetat sibi improporcionata.

24. Ad 4. concedo totum, quod nimirum religio, & obedientia diuinorum mandatorum sint præstantiores iustitia erga creaturas; sed dico, quod sunt minus perfectæ, quam iustitia erga Deum, vt probatum est. Adde religionem esse partem potentialem iustitiæ, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 80. art. 1. obedientiam etiam quodammodo esse partem iustitiæ, vt docet idem 2. 2. quæst. 4. art. 7. ad 3. & quæst. 104. art. 2. ad 2. ac proinde hoc argumento solum concludi, quod vna pars iustitiæ præstantior est altera.

25. Ad 5. Ex eo, quod liberalitas, & magnificentia gratis dent id, quod non debent, sequitur solum eas secundum quid, & quoad aliquid esse perfectiores iustitia, non autem sequitur esse perfectiores simpliciter, cum habeant obiectum formale imperfectius. Misericordia, in quantum est virtus moralis habens pro obiecto formali honestatem subleuandi miseriam proximi, dictum est, quod est perfectior iustitia erga proximum, sed imperfectior iustitia erga Deum.

26. Dices: iustitia erga Deum non est perfecta iustitia, cum non ponat perfectam æqualitatem cum debito; siquidem impossibile est adæquare id, quod debemus Deo: ergo est imperfectior iustitia erga proximum, quæ cum ponat perfectam æqualitatem cum debito, est perfecta iustitia.

Respondeo, distinguo consequens: ergo est imperfectior secundum quid, & quoad aliquid, concedo; simpliciter, nego. Iustitia erga Deum est imperfectior secundum quid iustitia erga proximum, siquidem illa non potest ponere, hæc potest ponere perfectam æqualitatem: at simpliciter est perfectior, quia habet obiectum formale perfectius, & quia ex se intendit ponere æqualitatem cum debito, in quantum potest; perfectio autem virtutis magis desumitur ex voluntate, quam potestate, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. q. 81. art. 6. ad 1.

### QVAESTIO CLXXXIII.

*Verum iustitia obliget ad operandum ex obiecto formali iustitiæ?*

1. Videtur obligare: primo, quia iustitia obligat ad faciendos actus iustos; sed actus non sunt iusti, nisi fiant ex obiecto formali iustitiæ: ergo iustitia obligat ad operandum ex obiecto formali iustitiæ.

2. Secundo fides non solum obligat ad credendum quæ Deus reuelauit, sed obligat ad credendum ex obiecto formali fidei, hoc est quia Deus, qui est prima veritas, reuela-

uit: spes non solum obligat ad sperandum quæ Deus promisit, sed etiam obligat ad ea speranda ex obiecto formali spei, ex hoc nimirum motiuo, quia Deus promisit: charitas non solum obligat ad amandum Deum, sed ad amandum ex obiecto formali charitatis, hoc est ex hoc motiuo, quia Deus est infinita bonitas: ergo iustitia, & aliæ virtutes morales obligant non solum ad facienda iusta &c. sed etiam ad facienda illa ex motiuo, & obiecto formali talium virtutum.

3. Tertio virtutes non solum debent obligare ad media, sed etiam ad finem: sed finis virtutis est, vt exerceamus actus bonos bonitate talium virtutum: ergo virtutes obligant ad exercendos actus bonos bonitate talium virtutum: sed vt actus sit bonus bonitate alicuius virtutis, debet fieri ex motiuo, & obiecto formali ipsarum: ex. gr. vt actus sit bonus bonitate iustitiæ, debet fieri ex motiuo, & obiecto formali iustitiæ: ergo virtutes obligant ad operandum ex motiuo, & obiecto formali ipsarum, ac proinde iustitia obligat ad operandum ex motiuo, & obiecto formali iustitiæ.

4. Quarto si iustitia non obligaret ad operandum ex obiecto formali iustitiæ, sequeretur, quod qui debet centum, si det centum, ex quocumque motiuo honesto illa det, satisfaceret obligationi iustitiæ: sed hoc est falsum; ergo &c. Probatur minor. Nam si is, qui debet centum, det centum animo donandi, non satisfacit obligationi iustitiæ, sed remanet debitor centum, non minus, quæ si illa non dedisset.

5. Respondeo plures posse fieri quæstiones. Prima est, vtrum vnaquæque virtus obliget ad amandum propter se suum obiectum formale amore, quo velimus efficaciter obseruare omnia præcepta grauius talis virtutis. Existimo, quod obliget. Ratio est, quia vnusquisque obligatur ad hoc, vt non solum negatiuè, sed etiam positiuè sit iustus, fortis, temperans &c. sed ad hoc, vt homo sit positiuè substantialiter iustus, requiritur, vt propter se amet honestatem iustitiæ, hoc est honestatem tribuendi alteri id, ad quod habet ius, & vt ex amore talis honestatis concipiat propositum efficax obseruandi omnia iustitiæ præcepta grauius obligantia; vt sit positiuè, substantialiter temperans, requiritur, vt propter se amet honestatem temperantiæ, & vt ex tali amore velit obseruare omnia temperantiæ præcepta grauius obligantia: ergo &c.

6. Confirmatur: nam homo non solum obligatur ad hoc, vt sit non malus, sed etiam ad hoc, vt sit positiuè bonus; ergo iustitia obligatur non solum ad hoc, vt non sit iniustus, sed etiam ad hoc, vt sit positiuè iustus, idemque dic de temperantia, aliisque virtutibus: ergo &c.

7. Debet tamen aduertiri, quod quia præceptum, quo obligamur ad amandum prop-